



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Sect. 1. Historica descriptio eius ditionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

§. 6. De ditione Ducis Parmensis, Parmense Italis; le Parme-
san Gallis.

SECTIO I. Historica descriptio eius ditionis.

NVM. 1. NOMEN. Accepit nomen ab vrbe primariâ ditionis eius, quæ etiam fluuiio cognomini adiacet Ducatus semper fuit maximè ex quo tota hæc ditione ab vno Principe possidetur, in quam tamen incurrit ditione Malaspinarum, qui possident supremo iure Forum Nouum *Fornouue*, cum 30. burgis; vt hîc taceam agros Palauicini, & Principis Landensis, quos sibi hic Princeps addidit: eius autem ditiones ita se habent in genere, nos hîc tantùm de Longobardicâ ditione agemus, de aliis suo loco differemus.

DITIO- NES DVCIS PAR- MEN- SIS, in Lon- gobardia, Tusciâ, & Regno Neapol.	DVCATVS	{	PARMENSIS: <i>le Duché de Parme.</i>	{	in Patri- monio S. Petri.
			PLACENTINVS: <i>le Duché de Plaisance.</i>		
	COMITATVS	{	CASTRENSIS: <i>le Duché de Castro</i>	{	in Patri- monio S. Petri.
			COM. RONCILIONENSIS: <i>le Comté de Ron-</i> <i>cigion</i>		
			PINNENSIS: <i>Ciuita Penna</i> , in Regno Neapolitano.		
			INSERTÆ DITIONES		
			{	PRINCIPATVS LANDENSIS: <i>Borgo di val</i> <i>Taro.</i>	
			{	COMIT. ROSSENENSIS: <i>Rossena.</i>	

NVM. 2. QUANTITAS. Longitudo eius spectatur à vico *Pizzadello* in limite Ducatus Mediolanensis, ad vicum *Gombia* in Comitatu Rossenensi in limite Rhegiensi, quod spatium ad maiorem circulum reuocatum dat 76. millia passuum, 38. leucas Francicas, Germanicas 18.

Latitudo verò à Bastiâ ad Padum in ditione Palauicinâ in limite Cremonensi, ad alterum è fontibus *Tari Fl.* in limite Genuensi, 45. minutorum, hoc est 45. M. passuum, leucarum nostratum 22 $\frac{1}{2}$, Germanicarum 11. cum $\frac{1}{4}$.

Circuitus ducentorum circiter millium passuum, Francicarum leucarum 100. Germanicarum 50.

NVM. 3. QUALITAS considerari debet in agris duobus Par-

○○○○○

meni & Placentino, ad quos reliqui reuocantur. *Ager Parmensis*, gratissimi est aëris, atque saluberrimi, quare eius indigenæ *μακρό-βιοι* sunt; frumenti quoque, olei, lini, ac vini feracissimus est. Armenta hinc quoque plurima, quare Casei Parmenses in Italiâ magni fiunt: denique in eo nihil ad vitam, nihil ad delicias deest: laudantur quoque Tibialia sericea quæ hinc efferuntur. *Ager Placentinus* eadem emittit quæ Parmensis; sed præterea ferro abundat, & ære, potissimum in Apennino & limite Genuensi. Hinc quoque putei aquæ falsæ, ex quibus sal purissimum excoquitur.

NVM. 4. MORES. Tam Parmenses quàm Placentini bellicosi sunt. Parmenses moribus suauioribus sunt, & ferè *εὐχέριοι*: Placentini austeri, & *ἀχέριοι*: omnes solertes, & sagaces, & ad aliquid suscipiendum expeditissimi. Vltiores iniuriarum acerbissimi sunt, & maximè thori nuptialis.

NVM. 5. ORIGO HVIVS STATUS. Quomodo ad Pontificem quondam deuenerit ille Status dicet qui audaciùs de hisce rebus Italicis pronunciare volet. His igitur suppositis Paulus III. Farnesianam domum suam volens euehere Petro Aloisio filio suo dederat Camertium Principatum *Camarino*, extortum ab Heredibus Francisci Mariæ Roborei, *della Roveré*, & præterea Ne-petensem ditionem, sed tantùm vt cum ad maiora, & altiora promoueret: Nam eas ditiones cum Parmâ & Placentiâ permutauit, quæ à Gallis seruata, Ecclesiæ Romanæ fuerant restituta, cum pensione 12. millium aureorum vt vult Thuanus, 10. vt Onuphrius; Cæsare grauiter id ferente quòd eas vrbes, sed potissimum Placentiam ad Ducatum Mediolanensem spectare quere-retur. Porro Petrus ille Aloisius homo flagitiosè nequam, & igni-bus dignior quàm tali honore, trucidatus est factione Palaucinorum, Landensium, &c. Placentia capta est à Cæsarianis. Sed eius filius Octavius vir fortissimus, & optimus animos non despondit, & perfecit vt sibi Parma à Iulio III. redderetur. Postea autem se in tutelam Regis Galliæ dedit, quæ res Cæsarem & Regem ite-rum commisit: at demum an. 1556. Cæsari socero suo reconcilia-tus est Cosmi interuentu, immò & reddita Placentia, eâ lege vt arx ab Hispanis seruetur. Obiit Octavius 1586. cum paulò an-tè eius vxor Margarita filia notha Caroli V. Ottone in vrbe suâ dotali mortua esset. Successit patri Alexander magnus illè Dux in Belgio, qui Philippum impulit vt sibi Placentinam arcem restitue-